

ptus, sine ulla cæde rerum potiretur. Haud quidem cef-
favit ille in tanta gerendæ rei occasione: sed silentio no-
ctis cum expeditissimis copiis ad urbem venit, quas per
aversa ab hostibus loca, ne quid illi præsentire possent,
mœnibus admotas, cæsis portarum vigilibus, proditores in
urbem sine alia majore cæde accepere. Baldoinus, & Pan-
thaleo Justinianus Antistes ad primum captæ urbis tumultu
exciti, cum necessariis preciosissimisque rebus, quas no-
cturna illa trepidatione secum asportare potuerunt, ad
Euripum se trepide receperunt: ubi navem ingressi, con-
tinua navigatione in Eubœam sunt delati. Quidam au-
tores sunt, Baldoinum cum omnibus copiis absuisse, quum
urbs Palæologo tradita est. Verum sive domi sive foris es-
set, satis constat, Constantinopolim per hunc modum amis-
sam, anno postquam a Venetis Gallisque capta est, octa-
vo ac quinquagesimo: vel, ut alii ajunt, tertio & sexag-
esimo. Veneti & ad Pontificem miserunt, & cum ipso
Baldoino ad Lodovicum Galliæ Regem: utrobique nec
data, nec omnino negata auxilia. Interim quia apparebat
in tanto rerum successu Palæologum non quieturum, Mar-
cum Michaelem cum duodeviginti triremibus ad tuendas
pelagi insulas cum omni maritima ora mitti placuit: cui
in primis illud mandatum, ut nullam in Palæologi rebus
infestandis prætermitteret occasionem. Quod tam cupide
strenueque factum ferunt, ut inter omnes constiterit, illum
desperatione rerum brevi fuisse Byzantium relicturum, nisi
Genuenses in Venetorum invidiam sese auxiliares ei præ-
buissent. Quippe qui, societate inita, omnem classem, quam
in Syria habebant, præpotentem quidem, ac ea longe in-
structiorem, quam ante cladem inter Tyrum & Ptolemai-
dem acceptam habuerunt, in Græciam misere. Horum vi-
ribus fretus Palæologus, tentavit in Peloponnesum sui Im-
perii fines promovere: quod ut brevi conficeret, Guille-
mum, quem acie ab eo victum, & in vincula adductum
diximus, ea conditione missum fecit, ut sibi in Peloponneso
Epidaurum traderet; sic enim veteres dixerunt oppidum in
sinu Argolico, quod hodie corrupto nomine *Malvasiam* vo-
cant:

1260
Palæologus,
Baldoino
ejecto, By-
zantium
occupat.